



# Disputatio medica inauguralis de diarrhaea

<https://hdl.handle.net/1874/343324>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE

# DIARRHÆA,

QUAM  
AUSPICE DEO OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè  
& legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subijcit*

TIMOTHEUS GOODWYN, ANGLUS.

*Ad diem 9. Maji, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō lbc xcii.

*Viris Dignissimis & Spectatissimis*

D. D. EDMUNDO GOODWYN, A. M.  
Patruo suo, ob continuam seriem be-  
neficiorum nunquam non colendo.

D. D. JOHANNI FELTON,  
Armigero, Avunculo suo, & Benefacto-  
ri humanissimo semper honorando.

N E C N O N

*Viro Celeberrimo & Doctissimo,*

D. D. EDUARDO HULSE, M. D.  
& Collegii Medicorum Londinensis  
Socio, Practico felicissimo, & in stu-  
diis suis Fautori benigno.

ob summam erga se humanitatem  
semper æstimando.

*Hanc qualemcumque Disputationem Inauguralem*

In grati animi testimonium humillime

D. D. D.


TIMOTHEUS GOODWYN, Auctor.





DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DIARRHÆA.

THESIS I.



Inter affectus numerosos quibus laborare solet humanum genus, vix alius quispiam frequentius occurrit, quam Diarrhæa; non enim tantum in Milites aut Nautas grassatur, quibus aëris injuriæ & mala victus ratio, huic ut & plurimis aliis affectibus ansam dat, sed etiam omnes, cujuscunque ætatis, sexus, temperamenti, aut constitutionis passim invadit; ideoque ut consuetudini hujus Illustris Academiæ satisfacerem, Diarrhæam pro subjecto hujus Dissertationis mihi eligendam proposui.

II. In hujus autem morbi Historiâ tradendâ, de Etymologiâ vocis nihil dico, utpote quæ nullo modo ad ejus notitiam nos ducit, saltem in genere sic describi potest, quod sit *alvi fluxus*, in quo *fæces albinae, humoresque varii excrementitii*, præter *alimentum crudum, chylum, aut sanguinem*, & sine *intestinorum exulceratione frequentius & copiosius debito*, per *alvum*



## DISPUTATIO MEDICA

*excluduntur, a glandulis & fibrillis intestinorum irritatis excitatus.*

III. Veniam me impetraturum spero si in Diarrhææ differentias proponendo, vestigiis Antiquorum non infisterem, Illi enim in omnibus fluxibus partem aliquam mandantem supposuerunt, v. g. cerebrum, hepar, lienem &c. quæ primario ab humore aliquo morbifico obsessa, eundem tanquam sibi incongruum partibus aliis debilioribus, & in specie in hoc morbo intestinis mittere solet, hinc secundum varias has partes mandantes, varias etiam hujus affectus species constituerunt; cum autem ex lege circulationis sanguinis constat, non dari ullam corporis nostri partem quæ per vasa ejus sanguinea, ut Antiqui voluerunt, humores ad aliam partem transmittere potest, excepto Corde quod sanguinem & cum illo omnes humores circumquaque ad partes distribuit, hanc Divisionem infirmo stare talo manifestum est. Altera Divisio ab Antiquis proposita, a materiâ excreta petita fuit, hinc Diarrhæa, Serosa, Pituitosa, Biliosa; aut Melancholica, pro hoc aut illo humore in majori copiâ excreto appellari solebat, quoniam vero humor ille Melancholicus nihil aliud esse videtur, quam Bilis Hepatica, propter aciditatem conjunctam fixior facta, & Pituita nihil aliud est, nisi serum sanguinis in crassam & viscidam substantiam coagulatum; liceat mihi hic duas tantum, respectu humorum excretorum, species proponere, Diarrhæam sc. Serosam & Biliosam, Utræque harum vel critice vel symptomatice excitari possunt, & nunc Epidemicè, nunc Sporadicè grassantur.

IV. His positis Symptomata quæ in duabus his speciebus accidunt, percurrere, quibus rite perpensis, partes affectas, & symptomatum rationes eruere conabor, dein signa Diagnostica quædam & Prognostica, & Curandi methodum pro more subnectam. Et primo quoad serosum alvi fluxum, hoc in antecessum monendum venit, nempe feri sanguinis eandem in hoc affectu Diathesin esse, ac in Catarrhis, in his autem vel serum insipidum & quantitate



titate solâ peccat, unde Catarrhus Frigidus oritur, vel simul acre est & corrosivum, aut saltem ejus fluxus à particulis acris excitatur, & hinc Catarrhus calidus excitari solet, eodem modo liceat mihi Diarrhæam Serosam in Frigidam & Calidam distinguere.

V. Itaque in Frigidâ observare est ægros aliquando tamdiu sine virium jacturâ, aut aliis symptomatibus molestis hanc tolerare posse, ut tantum abest ut se morbo laborare cogitent, quin potius se propter hanc Diarrhæam à multis malis præservari sperant, hoc vero rarius contingit, nam ut plurimum post diuturniorem fluxum, oriuntur lassitudines & virium defectus, ructus, flatusque varii, murmura hypochondriorum, & quæ maxime ægros affligere solent, appetitus diminutus & sitis aucta, etiam subinde accedunt tormina ventris, anxietates & pervigiliæ; si denique hic fluxus medicamentorum vim eludit & sæpius repetitis vicibus recurrit, oritur calor hecticus, partes musculosæ flaccescunt, & æger tandem marasmo conficitur. In Calidâ autem symptomata prædicta adsunt, sed multum aucta, Appetitus enim omnino est prostratus, & sitis maximè intensa, adeo ut eodem ardore laborantes, cibos solidos rejiciunt & potulenta experunt, accedunt dolores acutissimi & tormina ventris, nunc in tenuibus nunc in crassis intestinis magis molesta, hinc sedes tam frequentes sunt ut robustos intra unum diem in maximam debilitatem, & spirituum deliquia Affectus hic redigit, & pingues intra paucas dies macilentos reddit, Pulsus celer est & exilis, Calor febrilis in toto corpore percipitur, respiratio est anhela & nunc convulsiones nunc sudores frigidi, utrique ut plurimum mortis prænunciatores oriuntur. In Diarrhæâ Biliosâ Symptomata non multum ab istis diversa sunt, quæ in serosâ calidâ nunc sunt descripta, nisi quod rarius ad tantum gradum assurgant.

VI. In Definitione posuimus partes affectas quibus vario modo læsis, variæ fluxus species oriuntur, sc. glandulas & fibras intestinorum, Glandulæ autem sunt illæ à Cl.



## 6 DISPUTATIO MEDICA

Peyero ulterius detectæ & satis accurate descriptæ. Harum duæ sunt species, Miliæ quæ in tenuibus intestini & præcipue in Ileo, in varios racemis reperiuntur, & Lenticulares quæ singulatim in intestino Colo præcipuè conspiciuntur, Utræque sunt e genere glandularum conglomeratarum seu vasculosarum, & earum structura, ab illâ glandularum in membranâ narium cavitatem aut laryngem investiente sitarum, non differt; Humores etiam in his glandulis naturaliter secreti, lymphatici sunt & subviscidi, in Miliaribus fortasse instar salivæ, in Lenticularibus mucum intestinale constituentes, quo fibræ intestinales ab acredine assumptorum defenduntur, eodem modo, ac membranæ suprædictæ ab aëris injuriis ope humorum per proprias glandulas secretorum muniuntur. Fibræ intestinales sunt illæ à quibus motus peristalticus naturalis perficitur, de quibus hoc tantum monere liceat, quod intestina tribus tunicis consistunt, mediâ carnosâ fibris donatâ, duabus alteris ex nervosis seu tendinosis compositis, ideoque mediæ tanquam tendines inservientibus.

VII. Causæ Diarrhææ variæ sunt secundum ejus diversas species, & primo Serosæ causa proxima & conjuncta, est ipsum serum sanguinis, quod vel quantitate excedens, per arterias mesentericas ad glandulas intestinales defertur, inde earum poros secretorios subito transiens, in cavitatem intestinorum copiose effunditur, illic mole suâ fibris intestinorum nervosis molestum, spiritus ibi hospitantes irritat à quibus fibræ carneæ contractæ, spasmos excretorios solito frequentiores ineunt; in quacunque autem intestinorum regione, contractio hæc incepta est, ad reliqua intestina statim propagatur, & hæc à superiorum contentis in eorum cavitates detrusis stimolata, in spasmos etiam seriatim excitantur donec alvi fæces humoresque illi excrementitii foras per alvum excluduntur. Quod si serum etiam salibus acerbis & corrosivis sit onustum, illa tanquam aciculæ, glandulas & fibras intestinales pungendo, & vellicando illas copiosius lympham suam expuere, has vero frequentius spar-



sparmos excretorios inire faciunt. Eadem dici possunt de omnibus causis hujus affectus, quæ vel mole suâ vel acromoniâ, partibus affectis molestæ sunt.

VIII. Inquirendum est igitur quænam illa sunt quæ serum augendo, vel illud acrius reddendo Diarrhææ causæ sunt Procatarticæ. Serosi autem humores in M. S. accumulatur à vitio digestionis, dum vel propter defectum fermenti in ventriculo, vel potulenta nimis copiosè sumpta, vel alimenta crudiora ingesta, Chylificatio multum læditur, hinc loco chyli laudabilis, liquores crudi & aquosi per vasa lactea sanguini communicantur, qui cum nullo modo apti sunt, vel sanguini assimilari, vel in nutritionem partium cedere per varias glandulas à M. S. statim separari solent, nunc per glandulas salivales, ut in morbo hypochondriaco laborantibus (qui ideo sputatores dicuntur) nunc vero per glandulas intestinales separati, Diarrhææ serosæ frigidæ ansam dant. Huic accedunt alii in rebus n. n. errores, Aer sc. humidus & nebulosus, somnus multus & quies, unde sanguis in motu suo impeditur, nec secretionem debite perficiuntur, ideoque M. S. humoribus excrementitiis serosis scatere necesse est. Serum acrius reddunt Alimenta & aromata quæ sale volatili acri abundant item salita & fumo indurata, amara, liquores spirituosus, aëris æstus, corporis motus vehemens, vigiliæ &c. quæ omnia vel particulas acres sanguini communicando, vel spiritus dissipando, & humores blandos salium spicula obvolvantes evacuando, sanguinem & speciatim ejus partem serosam acriorem faciunt. Inter hæc sunt fructus horæi, mala dulcia, cruda, cerasa, uvæ, cucumeres, liquores etiam ex his expressi ut pomaceum &c. item cerevisia dulcis, hæc enim omnia sunt valde fermentiscibilia, ideoque cum sanguine non possunt assimilari. Sed effectus aëris præcipue notandi sunt, qui non raro particulis corrosivis & venenosis refertus, mediante respiratione cum sanguine miscetur, & hoc modo, nunc Pests nunc Februm malignarum, & sæpe Diarrhææ acutissimæ & Epidemicæ Author est.



est. Nec tantum vitia aeris occultiora culpanda sunt, in quibus explicandis Authores ingenia sua torsērunt, sed ejus vitia manifesta, sc. subitanæ tempestatum à calore in frigus mutationes, serosi humoris fluxum ad intestina excitant, nam ab his mutationibus poris corporis subito clausis, id quod insensibiliter exhalare solet intus retinetur, & in M. S. iterum resorbetur è quâ nisi statim eliminatur, febrem excitat; sæpius autem evenit ut particulae illæ in sanguinem receptæ massam ejus sine damno trajiciunt & nunc per renes præcipitantur, nunc in glandulas circa nares & laryngem confitas deponuntur, unde Catarrhus, nunc denique in glandulas intestinales, unde Diarrhæa. Eodem modo frigus externum post corporis æstum & vehementem motum exceptum, liquores etiam frigidi pleno ore hausti, ventrem non raro subducere observantur.

IX. Cum Bilem augent, acrioremve reddant, omnia illa a quibus serum acrius sit, non est ut illa hic repetamus, transeamus potius ad illos morbos, à quibus Diarrhæa vel Critice vel Symptomatice excitatur. Critica autem Diarrhæa est in illis febribus in quibus materia cocta seu feces M. S. per fermentationem separatae & quasi præcipitatae, per glandulas intestinales viam inveniunt. In Leucophlegmatia quando sc. serum in partibus musculosis extravasatum & stagnans, à motu & exercitio corporis aut ab aliis causis iterum à vasis sanguineis resorbetur, & per glandulas intestinales denuo à M. S. eliminatur. In mensium obstructione nempe cum humores excrementitii in mensium fluxu evacuari solita, hâc viâ obstructâ, per intestina alteram inveniunt. In infantibus dentitionis tempore, à salivâ acriori & copiosiori deglutita, & per intestina evacuata. Denique in Catarrhis aut Inflammationibus levibus in partibus glandulosis, materiâ sc. morbificâ ab illis in glandulas intestinales translata. Diarrhæa Biliosa Critica nonnunquam ab ictero ortum ducente ab obstructione in poro bilario, ductu cystico, aut communi excitatur, quando



quando enim tales obstructions subito referatæ sunt, Bilis copiosè in intestina effunditur, a quibus confestim per alvum excluditur.

X. Symptomatica ut plurimum Diarrhæa est, si accidit in febribus, dum materia est cruda, hinc enim non solum impeditur regularis fermentatio, a quâ humores excrementitii subigi debent, sed etiam humores sunt acriores, unde fluxus vehementiores excitantur, a quibus vires ægri maxime debilitantur; In febribus etiam ardentibus & pestilentialibus, ut & phthisi hydrope & inflammationibus magnis, sæpe oritur Diarrhæa colliquativa dicta, ubi sanguis adeo acris est ut partium solidarum pinguem partem depascit, & inter circulandum secum abripit, quæ postea (sero illi pro vehiculo inserviente) per glandulas intestinales in intestina delata, ab illis sub formâ pingui & oleosâ per alvum excluditur. In scorbuto Diarrhæam sæpe contingere: nemo mirari potest, cum in illo affectu tota M. S. salibus acribus referta est. In his morbis aliquando materia morbifica, unâ cum bile in glandulis hepaticis secernitur, & dein per ductum communem in intestina effusa, Diarrhæam Biliosam nunc Criticam nunc Symptomaticam excitat, quoniam vero Serum ob substantiam suam aquosam, magis aptè salibus acribus pro vehiculo inservire potest, quam Bilis quæ oleosas partes sibi habet admixtas, hinc frequentiores Diarrhæas à Sero quam a Bile excitatas observare est. A Lumbricis denique Diarrhæa solet excitari, cujus ratio ex suprascriptis facile patet.

XI. Non raro autem contingit quod ubi Bilis & Serum recte se habent, & sanguinis Diathesis est satis laudabilis, Diarrhæa acutissima excitatur, nempe à venenis sumptis aut medicamentis purgantibus in majori dosi exhibitis, unde Hypercatharsis oritur, huc etiam referri possunt Mercurialia ad salivationem excitandam usurpata, quæ aliquando in glandulis intestinorum vias patentiores inveniunt. Ex levi denique causâ oritur Diarrhæa propter læsionem glandularum per humorum acrum defluxiones præcedentes, hinc earum tonus læditur, ipsæque exinde promptiores fiunt, ut frequentius &



copiosius serum vitiosum transmittant, & ob hanc causam Hic affectus sæpe recurrere deprehenditur, quod idem in omnibus fluxionibus Catarrhosis observare est.

XII. Ut tandem quæ hæcenus diximus ad symptomata transferamus, ubi eundem ordinem quo in symptomatis recensendis usi sumus, adhuc servabimus. Diarrhæa igitur serosa frigida in principio benigna esse solet, & verè dici potest malæ causæ bonus effectus, quamvis enim melius foret, si humores serosi in M. S. non abundarent, multò tamen minorem noxam Oeconomix animali inferunt evacuati, quam si in M. S. retinerentur; Quod si hæc mala causa cito non aufertur, sed fluxus sit diuturnior, oritur virium debilitas, propter spiritus animales unâ cum lymphâ, cum quâ conjuncti sunt, evacuatos, flatus autem varii ortum suum ducunt ex vaporibus ab effervescentiâ humorum variorum in intestinis contentorum excitatis, qui si liberum transitum inveniunt, ructus aut strepitus, sin minus fluctuationes & marmura hypochondriorum etiam dolores tensivos producant. Appetitus diminuitur ob maximum dispendium lymphæ per glandulas salivales aut stomachales secerni solitæ, quæ certè vel constituit vel multum confert ad ventriculi fermentum; Ex magnâ evacuatione lymphæ etiam sitis auctæ ratio facile peti potest; Ex hoc lymphæ dispendio denique humores in nostro corpore acriores redduntur, nam in M. S. semper Salia adsunt acria, quæ quamdiu partibus aliis oleosis & mucilaginosi obvolvuntur, nullam Oeconomix animali noxam inferunt, quamprimum vero ex evacuatione horum humorum, salia illa extricata sunt & sui juris facta varia symptomata excitare solent, quoniam vero hæc mutatio in hac specie hujus affectus tardior sit, hinc tormina & anxietates, &c. non sunt adeo graviores, & æger marasmo tandem sed sensim conficitur. In Caldâ autem ubi humores sunt multo acriores, omnia prædicta symptomata augentur, non mirum quod tormina sint acutissima, cum ab acribus illis humoribus, mucus intestinalis qui solet intestina ab assumptorum acrimoniâ defendere abraditur, hinc fibræ sunt admodum sensiles, & in spas-



spasmos frequentissimos excitatæ, copiosioris humorum fluxus Authores sunt, hinc salia acria repente sui juris facta vel in M. S. febriles calores, vel caput petentia & nervos trajicientia convulsionones in variis partibus musculosis cient. Sanguis ob deperditionem partis suæ aquosæ & tenuioris crassior & viscidior evadit, hinc pulsus exilis aut intermittens, respiratio anhela & sudores frigidi deduci possunt, de quibus diutius insistere longum foret.

XIII. Nec in signis plurimis hunc affectum dilucidando immorari necesse est. Pauca quædam de humoribus excretis adjiciamus. In ferosâ Diarrhæâ humores ut plurimum in principio sunt tenuiores & postea crassiores evadunt, hoc accidit, vel propter poros glandularum intestinorum, qui in principio angustiores non nisi humores tenuiores admittunt, postea autem propter continuum humorum fluxum dilatati etiam crassioribus viam concedunt, vel quia M. S. propter serum copiosè evacuatum crassior est, vel quod Mucus intestinalis, non nisi spatio quodam temporis abradi potest & una cum humoribus excrementitiis evacuari. In Diarrhæâ Biliosâ nunc flava, nunc viridia nunc nigra etiam cernuntur excrementa, pro bilis variâ constitutione, nimirum prout acidum magis aut minus corrosivum se huic in intestinis immiscuit. In definitione posita sunt illa à quibus hic affectus a Lienteriâ, Cæliacâ passione, & Dysenteriâ distinguitur, ideoque hic non sunt repetenda.

XIV. De Diarrhææ ferosæ frigidæ, aut etiam Biliosæ Prognosi optime scripsit Celsus *lib. 4. cap. 19.* *Uno inquit die fluere alvum sæpe pro valetudine est, aut etiam pluribus dum febris absit & intra septimum diem conquiescat, purgatur enim corpus & quod lasurum erat utiliter effunditur, verum spatium periculosum est, interdum enim tormina & febriculas excitat, viresque consumit.* Si repetitis vicibus sæpe recurrit, aliquando phthisi, (*vid. Morion. tractat. de Phthisi l. 1. c. 7.*) aliquando hydropi ansam dat, prout sc. salia acria vel vesiculas pulmonales, vel vasa lymphatica erodunt, & si simul adsit plethora Dysenteria facile producitur. Gravidæ



si supervenit, periculosa est Diarrhæa, testante *Hipp. Sect. 5. Aph. 34.* cum enim rectum intestinum propter sedes frequentiores valde stimuletur, uterus ipsi coherens aliquando in consensum trahitur, unde Abortum fieri non raro contingit. Antea diximus hunc affectum ophthalmiam & leucophlegmatiam non raro solvere ut, ex *Hipp. S. 6. A. 17. S. 7. A. 29.* patet. Diarrhæa autem Serosa Calida semper est periculosa utpote quæ propter brevitatem cum magnitudine conjunctam inter morbos acutissimos referri potest, majus tamen aut minus periculum adest, prout symptomata majora aut minora sunt. In Diarrhæâ Biliosa, excrementa flava sunt optima, deteriora viridia, sed pessimi ominis nigra, quæ ut plurimum mortem præ foribus adesse nunciant. In Diarrhæis denique symptomaticis, Prognosis est dubia, & è morborum, quibus pendent, tractatione peti debet.

XV. In Curatione variæ occurrunt Indicationes, ac primò in Diarrhæâ serosâ frigidâ feri copia minuenda est, appetitus restaurandus, humorum acrimonia vel præcavenda, vel si adsit tollenda, tonus partium affectarum labefactatus quantum potest restituendus, & denique ad vires respiciendum est. Serum minuitur vel pabulum ei detrahendo (hinc sitis tolerantia, si febris non adsit, admodum conducit) vel illud è corpore evacuando, 1. per Purgantia hydragoga, blandiora, v. g. pulv. rad. jalap. cum rhabarb. ut *Sylv. in Prax. l. 1. c. 13.* præscribit. 2. per Diuretica inter quæ sunt Decoct. & Vin. juniperin aq. minerales sulphuræ à *Riverio* laudatæ item aq. minerales chalybeatæ. 3. per Diaphoretica & Sudorifera (præcipue si à poris corporis subito clausis affectus hic oritur) qu. sunt Pulv. è chel. 69. comp. Lap. de Goa, Theriaca Mithridat. Diacord. & denique Emetica aliquando in usum venire possunt ex autoritate *Hipp. S. 6. A. 15.* *Longâ Diarrhæa laboranti, sponte superveniens vomitus malum solvit.* Quod si sponte superveniens effectum adeo sælicem sortitur, quid ni à medicamentis excitatus prodesset; Ab hoc autem Ventriculus a saburrâ humorum excrementorum liberatur, & hinc appetitus restau-




restaurari potest, in quem finem etiam conveniunt omnia stomachica dicta, qu. sunt Plantæ amaræ & ex his Decoct. amarum in *Ph. Batean.* Aromata omnia quæ non sunt nimis acria & præcipue Martialia inter quæ Crocus martis tartarisatus, Syr. & Vin. chalybeat. &c. Humororum acrimoniam tollunt præter chalybeata, Puly. testacei, margaritæ sc. oc. cancr. corall. rub. ppt. &c. conf. hyacint. Emulsiones ex amygd. d. sem. papav. &c. item Decoct. lign. lentisc. & mastich. Gelatina C. C. & Decoct. C. C. C. ex quo conficitur. Decoct. alb. in *Ph. Bat.* Glandularum fibrarumque intestinorum tonum restituunt omnia adstringentia vulgo dicta, Talia sunt Rad. tormentil. ejusque extract. rad. bistort. fol. myrt. plantag. fl. balauft. ros. rub. cort. granati fruct. mespil. cydon. N. M. tost. mac. cinnam. Terræ omnes sigillatæ, bol. armen. lap. hæmatit. & croc. mart. astring. & quæ acrimoniam tollunt, simulque humorum fluxum sistunt, adeoque partium tono restituendo inserviunt, nimirum Opiata ut Laud. opiat. Laud. liquid. Sydenh. Syr. è mecon. &c. & etiam Magnæ compositiones Officinales superius memoratæ; Sed cavendum est ne Adstringentia & Opiata prius exhibeantur, quam materia peccans è corpore eliminetur, nam propter hunc in praxi errorem, Agyrtæ & Mulierculæ adeò frequenter ægros suos ad plures ire cogunt; Eadem cautio non est negligenda in medicamentis spiritus reficientibus exhibendis, qu. st. Mixtura ex aq. epidem. cinnam sp. theriacal. cum aq. plantag. menth. cinnam. hordeat. mixt. talia enim medicamenta ante purgantia propinata non vires reficiunt, sed febriles calores excitando omnia symptomata augent.

XVI. In Diarrhæâ ferosâ Calidâ purgantia debent esse leniora, ex rhabarbaro coque tosto constantia, ne igni prunas injiciamus, interim Diaphoretica & Alexipharmaca, (si hic morbus ab effluviis venenosis aëris ortum ducit) Cardiacæ etiam temperatiora, Opiata & Adstringentia in majori dosi concedi possunt, præsertim si convulsiones adsint, ubi Opiata totam paginam absolvunt. Si febriles calores adsunt con-



venire videntur V. S. & Vesicatoria. In Diarrhæâ Bilio-  
sâ præter medicamenta superius memorata, conveniunt illa  
quæ Bilem attemperare dicuntur qu. sunt. Cichor. endiv.  
acetosa, agresta, granat. citri & ex his decocta aq. destil-  
lata & syrapi, huc referri potest sal prunel. a *Riv.* lau-  
datus.

XVII. Externe ab Authoribus laudatur, Theriaca umbi-  
lico, atit simul etiam regioni stomachi, imposita & illita vel  
sola, vel cum ana bals. peruv. mixt. & gutt. aliquot. ol.  
destillat. mac. irrorat. Diæta sit ex lacticiuis, hordeatis, ge-  
latinis & decoctis ex animalium extremitatibus glutinosis  
factis, Potus sit Decoct. alb. aut Ptisana hordeat. De Diar-  
rhæâ symptomaticæ curatione nihil dicimus, tum quod illa  
ad morborum a quibus pendet curationem referri debet,  
tum quod brevitatis limites transgrederemur, si ulteriori  
de hâc re disquisitione non supersederemus.





A N N E X A.

I.

S I M I L I T

*Non datur Circulatio Bilis.*

II.

*Sympathia, & Amicus Aether, Anti-  
pathia, & Peregrinus Aether idem so-  
nant.*

III.

*Effervescentia non datur inter Bilem &  
succum Pancreaticum.*

IV. Me-



I V.

*Medicina ab omni Philosophorum sectâ  
debet esse libera, sed fortasse nunquam  
est.*

F I N I S.



I I I

IV. Ms.